IO. PHILIPPI
SLEVOGTII, D.


in Academia Ienenſi Anteceſſoris, Facultatisque iuridicae h. t. ſextum decimum Decani

PROGRAMMA

Clariſſimi ſummorum in iure honorum
CANDIDATI

FRIDERICI GVILIELMI
MVLLERI

Iſenbytani in Luneburgicis
INAVGVRALI DISPVTATIONI
De
LEGVM quarundam Iuſtinianearum non vſu in Germaniae foris, ex earundem rationibus necquidquam probando
praemiſſum.



IENAE M DCC XXVI

LITTERIS MVLLERIANIS





XTREMVM hunc Arethusa mihi concede laborem.

Haud nefas fuerit, eadem me verba; sed sanctioris fontis veneratione, vsurpare, quibus postremam suarum Eclogarum Virgilius exordiebatur. Neque enim spes aut votum est, in illud tempus vitam protrahendi, quod denuo necessitatem mihi adferat, & experiendi, & publice testandi, quantum virentia adhuc genua valuerint prae arescentibus longa aetate ac labore, vacillantibusque. Gaudeo interea impense, eum mihi summorum in iure honorum Candidatum obtigisse, qui natione atque ingenio, itemque eruditione ac moribus insignis, non indecorem praesenti meo muneri coronidem imponat.

Opportune autem in memoriam recidit celeberrimum Atheniensium templum, ab Ictino, vtque aliqui addunt, Callicrate, stupenda arte & con-

cinnitate exſtructum, a Minerua Parthenia, cui ſacratum erat; vel vt malunt alii, a virginibus filiabus Erechtei, Parthenon appellatum. In eo admirandum ſpectabatur Mineruae ſimulacrum, a Phidia ex ebore & auro elaboratum, ſtans rectum in tunica talari, gerensque in pectore Meduſae caput, cuius vtramque galeae partem in cono Gryphes tenebant, Spinge ſupereminente. Gryphes, genus ferarum erant, corpore leones, alis & facie aquilas praeferentibus: a quibus non multum differebat Sphinx, pennis referens volucrem, corpore leonem, ſolo capite ac facie puellae effigiem. De quo monſtro, ex Typhone & Echidna, vt Poetae fabulantur, progenito, paſſim mythologiae auctores. Quorum nos non tam fidem, quam veſtigia, iam tum non vbiuis conſentientium, ſequemur: nequaquam rem ipſam ad examen vocaturi; ſed occaſionem tantum hinc accepturi, praeſenti inſtituto aliquam conciliandi amoenitatem. Sicut iam initio, hisce, atque aliis id genus fabulis, & quae viſenda exhibebantur, hominum aut brutorum animalium ſimulacris, totam ſapientiam humanam Graeci feliciſſimo ingenio comprehendebant: quam a vulgi oculis, in externa duntaxat ſpecie ac figura ſtupentibus, longe ſubmotam, ſolis mentibus, ad interiora penetrantibus, cenſebant reuelandam. Equidem pulcherrimum illud Mineruae Phidiae ſignum, quod primo ſtatim adſpectu rapiebat oculos, cum iisque animos, copioſum nobis praeberet argumentum, de Iurisprudentia noſtra, non ſine ſpecioſa compa-

comparatione, differendi. Sed quum instituti habenda sit ratio, solam Sphingem liceat considerare.

Sedebat haec in Sphingio monte, iuxta Thebas, atque inde in viatores impetum faciens,

Pallentes erecta genas, suffusaque tabo
Lumina,

aegre soluendum singulis aenigma proponebat: cuius abstrusam significationem quisquis non adsequebatur, ignorantiam suam praesentissima morte luere cogebatur. Grassabatur hoc monstrum tamdiu, & sine spe eiusdem de medio tollendi, donec Apollo consultus, tunc demum finem id malum habiturum respondit, si quis perplexissima huc vsque Sphingis quaesita explicuisset. Promulgauit confestim, Thebanorum rex, Creon, per vniuersam Graeciam edictum, sique reperiretur vsquam, qui aenigma monstri & latentes dolos retectum iret, huic Iocastam sororem, Laii regis viduam, in vxorem & praemium promittebat. Inuentus postremo omnium est Oedipus, qui discussa aenigmatis nebula, quatuor hominis aetates significantis, effecit, vt praeter spem deprehensa Sphinx, ipsam sese protinus de saxo daret praecipitem, &

Tristis inexpletam scopulis affligeret aluum.

Hoc fatum fuit monstri, quod multorum antehac calamitas fuerat ac pernicies.

Si ad Iurisprudentiam nostram respiciamus: quis obsecro neget, cum Sphinge eam optimo maximo iure posse comparari? Quam qui e longin-

quo contemplantur, non possunt non, tamquam venustissimae virginis specie delectari: at considera eam propius, tam horrida, tam tetrica apparebit, vt non multum dissimilis monstro per aenigmata insidianti videatur. Neque vnum tibi occurret, difficulter dissoluendum; sed magna congeries aenigmatum, tam perplexorum, vt vere crux & calamitas ingeniorum dicantur. Iam si ad cathedrarias aut forenses disceptationes veniatur; si cui obiiciatur aduersarius probe exercitatus, & callidus sophismatum artifex, inque medio contentionis discrimine nullum meditandi, aut elabendi vias quaerendi, spatium relinquens: quid animi sit in tantas angustias redacto, & versos in se aliorum oculos, versos animos, in risum quam applausum proniores, contuenti?

Heic videas, ingentes trepidare Titos,

& cor, Plautiniani exemplo Euclionis, *artem facere ludicram.*

Equidem non proprium hoc est solis iuridicis; sed commune omnibus in omni scientiarum ac disciplinarum genere disceptationibus: ad quod genus exercitationum certum est, non omnia ingenia esse nata ac facta: quin quaedam ab illis adeo abhorrent, vt oblatas sibi satis honestas, & ad familiam sustentandam sufficientes conditiones, ea tantum de caussa, quod exercendae in disputando iuuentutis onus adiectum esset, recusauerint. Quin quosdam videas, solam docendae rationalis philosophiae prouinciam, tamquam genio suo repugnantem,

tem, refugiſſe. Cuius notabile exemplum Auguſtus Buchnerus fuit, quum ei regendae Portenſis ſcholae Sparta offerretur; factus poſtea tam praeclarus Wittebergenſis Lycei Poeta & Orator. Mihi quoque idoneos laudare teſtes liceret, in celebri Gymnaſio, virum alias doctiſſimum, & diſputationibus ſatis exercitatum, a quodam diſcipulorum, ingenio valentem, ac poſtmodum in Academia tam logicae quam metaphyſicae, quibus natus erat, profeſſione, ſummas laudes merentem, tam arcte fuiſſe habitum, vt magno ille redemtum voluerit, in arenam cum iſto iuuene, ac ſuper haec diſcipulo ſuo, nunquam deſcendiſſe.

Atque adeo quantum Thebanica Sphinx olim in hominum vitam; tantum Scholaſtica ſiue Academica in exiſtimationem, quam vitae parem haberi peruulgatum eſt, ſaeuit; maxime, vbi exagitationum adhuc regnat licentia. Datique non ſemel in pudorem, quibus malo ſuo fato contigit, vt per integras horas & in meridiem vsque, ab aduerſa parte vexati, quum nullam, quocunque ſe verterent, inuenirent viam, qua illaqueati ſeſe expedirent, tandem ipſo monſtrante aduerſario, nullum futurum eſſe diſputandi finem, quamdiu neglecta ſyllogiſmi forma ad materiam reſponderetur; adiecta admonitione, poſthac tam vili pendendas non eſſe philoſophicas ſubtilitates, cum riſu auditorii docerentur. Quin factum quondam recordamur, vt delapſus in tales exagitandi magiſtros, quum perpetuis cachinnis auditorum diu expoſitus fuiſſet, peracto toto praelii

ludi-

ludibrio, non vetus repeteret hoſpitium; ſed recta, quo ad portam vrbis via ducebat, contenderet, nunquam reflexurus pedem. Tanti refert, ingenium ad certamina talia apportare, iſtarum praeceptis diſciplinarum, praecipue formandorum, atque excutiendorum ſyllogiſmorum, probe ſubactum.

Animaduertere hinc licet, viros exiſtimationis ſuae & auctoritatis ſeruantes, aliisque rebus omnibus, quam diſputationibus, factos ac deditos, quo ſemet a contemtu ſpecioſius protegerent, totam ſyllogiſticam diſceptandi formam nihili facere conſueuiſſe, & ludibrii cauſſa exempla obieciſſe, quae facile quiuis deprehendat, tanti non eſſe, vt eum in modum cum quoquam ſerio congrediatur. At vero, vbi illis ipſis prodeundum fuiſſet in aciem, in qua, omiſſis omnibus ſophiſmatum inſidiis, vero veri ardore, & conceptis rite ſyllogiſmis, pugnari mos eſt: tum ſcilicet intellecturi forſitan fuisſent, quantum in arduo argumento, ad eruendam veritatem faciat hoc certandi genus, quamque non obuia ſit cuiuis, niſi Alexandrino gladio vtatur, nexos ſibi Gordios nodos diſſoluendi ratio. Enimuero, quantus, quantus paucis abhinc annis Ianus Vincentius Grauina orator fuerit; quantum nomen ex philoſophiae ac iuris hiſtoria; quantum ex Platonicae ſapientiae cultu atque imitatione fuerit conſequutus: palam tamen non vno exemplo fecit, Ariſtotelem, huiusque ſectatores, & eorundem docendi ac diſputandi morem, non ſine exiſtimationis ſuae periculo nimis contemtim habuiſſe, eque

ſcriptis,

ſcriptis, quae reliquit, vix modicos prodituros philoſophos. Fortaſſis etiam clariſſimus alias vir, & eloquentia atque eruditione multis praeferendus, Io. Henricus Boeclerus, eadem de cauſſa, quod metaphyſico ingenio deficeretur; ſed honeſto praetextu, a ſyllogiſtica diſputandi conſuetudine ſuos abducebat: vt verendum ſit, ne idem in eundem Batavi probrum, quod ipſe illis obiiciebat, reiecturi fuiſſent: *Miſerum eſſe diſputatorem.* Hinc etiam putauerim, iſtam in excutiendis metaphyſicis, ſiue tale ingenium poſtulantibus, argumentis, lentitudinem, locum non nemini feciſſe, vt perpetuam ipſi exprobraret iudicii inopiam.

Spectauimus fabuloſae Graeciae Sphingem Thebanam, cui vnicus Oedipus, quamquam miſerabili ſuo ſimul fato, fuit fatalis: ſpectauimus etiam Scholaſticam ſiue Academicam; ſed quae non vnum ſibi oppoſitum habet Oedipum: neque aut illam ſuccumbentem, aut hunc vincentem triſtiore ſuo malo. Oedipum noſtrum praeparatum certamini oportet, ſollertiore doctrina, & enixo diuinae humanaeque ſapientiae, in primis, quod ad iurisprudentiam attinet, ſingularum eius partium ſtudio. Nam ita demum effici poteſt, vt quis victor euadat feliciſſimus, nec ſibi ſoli, ſed plurimis prodeſſe mortalibus poſſit, de fortunis, deque vita ipſa periclitaturis, niſi reperiatur, qui in ambiguis, & maxime perplexis articulis iuris, quidnam iuſtitiae vbique exigat ratio, demonſtret. Qui illuc venerit, vt explicare legum ac controuerſiarum nodos,

B atque

atque hoc in ipso forensium negotiorum aestu, queat, in quo tot Sphinges, quot caussae ac lites sunt, is Oedipus nobis erit, suam salutariter operam mortalibus praebiturus.

Neque sine mercede ac praemio laborum dimittendus est. Sane Iocostam sororem pollicebatur, & in matrimonium dabat Creon Oedipo: quod grande, ac laetissimum in speciem beneficium, necopino fato in miseri hominis perniciem vertit. Quippe ignarus, matri se suae iunctum, postquam id resciuit, dolore percitus, sibi ipsi in poenam oculos eruit. Longe meliora & tutiora sunt eorum, qui iurisprudentiae semet implicant aenigmatibus, praemia. His parati honores ac dignitates; his parata in republica munia splendidissima: quibus decorati, oculos in se non solius turbae vertunt, neque capti luminibus cum Oedipo, sed lux & splendor potius patriae suae. Quamquam si retinenda est comparatio, non dissimulari debet, in tanto eorum, qui aenigmatum iuris soluendorum peritiam iactitant, & fori cumprimis iurgia sectantur, numero, non deesse homines, Graecorum Oedipo calamitate fati haud dispares. Qui scilicet sordida quaestus libidine, ipsam iustitiam, & almam nutricem suam, iurisprudentiam, constuprant: qui pariter hinc, non dolore ex facinoribus, sed animi improbitate, oculos sibi suos ipsimet eripiunt, & bonae existimationis lumen exstinguunt, omnium, quibus recti iustique intellectus & cura, iustissimam merentes auersionem.

Longe

Longe ab Oedipi fato huc vsque abfuit, longe, vt confidimus, abfuturus eft, dignus tamen Oedipi laude, & veris, nihil non laeti habentibus praemiis, Candidatus fummorum in vtroque iure honorum clariffimus,

FRIDERICUS GVILIELMVS MVLLERVS

Ifenbytanus in Luneburgenfibus.

Productus in hunc orbem eft in Ducatus Luneburgici pago, cui Ifenbyta nomen; non illud illuftre quidem, nec quibus ipfae vrbes, cumprimis cultiffima metropolis eminet, decoribus fulgens; fed tamen honeftis viris, & ingeniis, fua quouis patriam laude ornantibus, foecunda. Cui multum lucis attulit etiam optimus noftri parens, *Michael Mullerus*, diuini verbi egregius & reuerendus praeco, non eruditione minus, quam doctrinae ac vitae integritate late confpicuus ac celebratus. Ille impertita fibi diuinitus hac prole, anno labentis faeculi primo, die vndecimo Augufti, quantum laetabatur cum dulciffima vxore, *Sophia Margaretha Beckeria*, hoc caftiffimi matrimonii pignore; tantum in recte educando, vt ingenium atque animus, moresque, litteris, & religionis praeceptis, innoxiisque exemplis excolerentur, laborabat. Quamprimum capere doctrinam nofter per aetatem poterat, tradebatur domefticae inftitutioni *Ioannis Friderici Prallii;* minifterio deinde facro, in multorum falutem, fungen-

 tis;

tis: cuius sollertiam, atque ad humanioris litteraturae elementa saluberrimum ductum, etiamnum gratus agnoscit, ac voluit memorari. Maturior grauioribus doctrinis, Brunswigam ablegabatur: vt in frequenti Martiniani Gymnasii coetu, decora aemulatione excitaretur. Moderabantur illud tum temporis clarissimi viri, *Weichmannus* & *Pohlmannus*, alter Rectoris, alter Conrectoris nomine; vterque suarum partium bene memores, & iuuentuti, qua linguas non modo, Latinam cum Graeca, quin Hebraicam quoque, haurirent; sed etiam ad artes atque scientias, academicarum meditationum praeludia, viam monstrantes. Satis instructus censebatur ad academicam palaestram adeundam, quum anno octauo decimo labentis saeculi huc mitteretur, patre, studiis filii optime apud nos consultum iri, existimante. Neque ille consilium ac iussa paterna destituit, ordine legitimo, & labore debito, impositas sibi partes aggressus. Ac primum omnium philosophiae dedit operam; praeter priuatas superstitis tum adhuc publicae Bibliothecae praefecti, *Reichardi*, lectiones, frequentatis *Syrbianis*, *Wideburgianis* & *Walchianis* celeberrimis scholis, rationalis doctrinae praecepta, & mathematica dogmata, quaeque pariter a litteratura commendantur, gnauiter hauriens. Hisce praesidiis quum satis, pro instituto, paratus maioribus censeretur, primariam ad metam recta tetendit cursum. Docebat tum domi suae *D. Pragemannus*, ciuilis iuris fundamenta; sed valetudine infirmiore: validiore autem, &

multo

multo successu, idem *D. Ditmarus* iuuentuti praestabat. Quumque hos sedulo audiuisset, publicorum praeterea iuris interpretum auditoria sollers obibat, celebratis nunc *Struuianis*, nunc *Beckianis*, praeterea & *Schroeterianis* & *Frisianis*, in diuersas iuris partes recitationibus: quorum singulorum doctrinas auida hauriebat aure, vt non posset non legali eruditione indies locupletari. Auctore insuper auunculo, sibi venerando, *Vlrico Georgio Beckero*, summi tribunalis Regii, quod Cellis est, Aduocato & Procuratore ordinario, quae id genus tribunalium facies ac forma esset, in futurum sui vsum praesens explorabat: hincque redux, vicinas nobis inclitas Academias, Lipsiensem atque Hallensem, & illustrantes vnamquamque viros praestantissimos adibat, ex adspectu & affatu cuiusque, tum animi alacritatem & impetum maiorem, tum quae ad eruditionem aut prudentiam factura essent, capessurus. Peregit tandem longum studiorum cursum; vtque publico testimonio, de laudatissima eius ratione, cui perpetua vitae honestas comes fuit, constaret, Collegio semet nostro per sollemnia explorandum obtulit examina. In quibus quum pulchre omnino stetisset, ad publicum quoque inauguralis Disputationis specimen, quo ad summos in Iure honores viam sterni vetus mos est, consensu admisimus. Cui certamini, ductu & praesidio illustris viri, *Christiani Wildvogelii*, iureconsulti & consiliarii Saxo-Isnacensis intimi, antecessoris & facultatis nostrae Senioris excellen-

tiſſimi, proxime inſtituendo, vt fauentes intereſſe dignentur, Magnificus Academiae ProRector, illuſtriſſimorum par Comitum, Proceres omnium Ordinum grauiſſimi, quique alias hoc Lyceum aut Ciuitatem condecorant, cum generoſa ac nobiliſſima ſtudioſae Pubis corona, reuerenter, obſequioſe, & opere, quanto poſſum maximo, gratiſſimam & meam & Candidati promittendo mentem, exoratum venio. P. P. in Academia Ienenſi, die III Februarii, M DCC XXVI.



In



In Supplementum addere placet, quae Ianus Vincentius Grauina censorio rigore differit Orat. V *De recta in iure disceptandi ratione.* Et quoniam, inquit: homines ad perspectam veritatem natura ipsa ferimur, ideo nihil de arguendi forma laborandum, dummodo veritati propugnandae, falsitatique confutandae idonea sit, atque apta sensibus, rebusque conueniens. Etenim conclusiones verae non e formis illis puerilibus argumentorum exoriuntur; sed ex ipsius veritate materiae: quae, quibuscumque verborum formulis eluceat, suapte vi mentibus dominatur. An enim, si fueris forte probaturus, Sempronium filium a Titio patre exheredari non posse, minus rem demonstraueris, cum dixeris, non licere Titio exheredare Sempronium filium, quia filius exheredari sine caussa non potest: quam si dialecticus vitilitigator effectus, hunc syllogismum intorseris?

Filii a patre sine caussa exheredari nequeunt:
Sempronius Titio est filius:
Ergo Sempronius nequit a Titio sine caussa exheredari.

O frigidam & stomachosam! o vanam importunamque verborum circuitionem! si tribus perspicuis vocibus, communi more compositis, rem simpliciter expedisses! At fortasse dubiae res atque ancipites forma dialecticorum certae redduntur. Itane? quasi ex argumentorum forma, quae venit extrinsecus, non ex interna facultate hominis, res ipsas permeante, certum de incerto eruatur: nempe ope sensuum, & experimentorum, & notionum aeternarum, quas ab ortu suo secum animi attulerunt. Quod nisi veritatem hisce instrumentis adipiscaris, frustra syllogismi adhibueris opem: non enim ante syllogismum vnquam exstruxeris, quam veritatem

in

in syllogismum conferendam assequare. Veritas enim haudquaquam per tria illa syllogismi enunciata distrahitur: sed tota continetur in primo. Vnde ante veritatem cognoscimus, quam syllogismum concluserimus. Qui enim probat Stichum esse seruum hoc syllogismo :

Omnes bello capti sunt serui :
Stichus est bello captus :
Ergo Stichus est seruus :

oportet animaduertisse Stichum inter bello captos in prima enunciatione, ab inductione orta, vbi comprehendit omnes, antequam ad extremum syllogismi perueniret.

Quorsum igitur tua haec, felix dialectice, mira formarum inuentio ; nisi vt plausu, & lucro cum tuo, adolescentium ingenia miserrime torqueas, atque a contemplatione rerum abstrahas ad sterilium examen studiumque formularum : vnde assuescant rationum veritatem ac falsitatem, non propria cognitione, sed ex verborum sono, ac vocabulorum textura discernere? Vnde non mirum, si praeclara omnia Philosophorum reperta prodiere, antequam sophistae nostri suam explicarent enthymenatum & syllogismorum aciem, rectae rationis diu victricem. Cuius ductores, postquam tendiculis illis homines ad se conuerterunt, adeo arefecerunt ingenia, vt non nisi hoc abiecto praestigiarum studio, ad spem nouorum inuentorum redierimus.



